

WC
547



P R I N T I N G

The Dean of the University of Cambridge
 has caused this book to be printed
 at the University Press, Cambridge
 in the year of our Lord one thousand
 six hundred and eighty two
 and in the second year of the
 reign of our said Majesty King
 James the Second by authority
 under the Great Seal of Great
 Britain bearing date the
 seventh day of the month of
 January in the second year
 of the said Majesty King
 James the Second

D I S T R I B U T E D

By J. Sturges, Printer, in the Strand



201

an 7

Σύγχρομα

In reditum auspiciatissimum

ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

D. JOHANNIS

**ERNESTI JUNIORIS, DU-
CIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, ET
BERGÆ, LANDGRAVII THURINGIÆ, MAR-
chionis Misniæ, Comitis Marchæ & Ravenspurgi, Domini
Ravensteinii, Rectoris Magnificentissimi
Academiæ Jenensis,**

*Cum è peregrinatione Germanica, Gallica, &
Anglica feliciter ad suos Vinariam reverteretur.*

Die 19. Martii A. O. R. 1614.

Debitæ subiectionis & gratitudinis ergò scriptum

A


**VV OLF GANGO HEIDERO M.
Prof. publ. Acad. Jenensis.**

J E N Æ

Ex Officina typographica JOHANNIS WEIDNERI,

Anno M. DC. XIV.





*Hæc sunt arma domus nativæq̃, partaq̃ nuper
Saxonice: titulis rem Deus adde novis.*

W. H. M.



203

Dum patrias, Johannes
Erneste, saluus oras
Revisis, atque torvi
Linquens fluenta Rheni
Cattosq; per nivosos,
Et Isidis per urbem,
Gothæq; per ruinas,
Erphordiæq; campos,
Vinariæ propinquas:
Vides ut ipse Phœbus
Lætum jubar sereno
Diffundat ore, venti
Ut molliter susurrent,
Ut leniter tepescat
Aër, ut alma tellus
Stomachetur, hoc inertî
Gelu quod impedita,
Cesset, nec id quod ante,
Hoc mense factitavit,
Sylvæ comis Semanæ,
Et montis Eiteronis
Frontem suam coronet,
Blandoq; fosculorum
Superbiat decore,
Et graminum renatâ
Se vestiat lacernâ.

Vides ut intumescant
Et limpidis ferantur

Undis Hiera, Sala,
Onester, & Vierra,
Solutus pavescit Ilmus
Sibi conscius suorum,
Miser piaculorum,
Caputq; triste canis
Sub occulit salictis.

Vides amica Mater
Præ gaudio nitentes
Ut lachrymis ocellos
Suffusa cum tuorum
Fratrum pia phalange,
Doctisq; cum Magistris,
Fidisq; cum Ministris
Te jam diu cupitum,
Totiesq; sevocatam,
Acceptet, & Paternæ
Beata reddat aula.

Vides ut oppidani
Cives, & arva duri
Qui tertiant Coloni,
Ut urbicæ puellæ,
Ut rusticæ puellæ
Te gratiose princeps
Matriq; restitutum,
Et Fratribus reductum,
Et Patriæ relatum
Decenter auspiciatis
Clamoribus salutent,

A 2

Simulq;

Simulq̄; tot bonorum
 Glomos tibi precentur,
 Quot vellerum quotannis
 E flocculis suorum
 Sub solis axe fusci
 Seres trahunt, & Indi,
 Salana nostra quamvis
 Jam non adesse detur,
 Jō tamen triumphe
 Canit, cietq̄; festos
 Linguâ manuq̄;, summâ
 Cum gratulatione
 Iteratq̄; læta plausus.
 Valles cavæ volutant
 Voces, & altiorum
 Juga montium resultant.
 Quin nostra litteratis
 Pubes sacrata Musis,
 Nos inter hæc volucris
 Dum fama dissipatur,
 Vinariam citato
 Petit gradu, tuiq̄;
 Vultus benignitate,
 Redux Jane Princeps,
 Animos tibi fidelis
 Oculosq̄; turba pascit.

Quid ergo, quæso, nobis,
 (Fas sit mihi rogare)
 Quid patriæ reportas?
 Quid tot, precor, repertum

Erroribus viarum,
 Injuriisq̄; cœli,
 Periculisq̄; terræ,
 Et Nerei procellis,
 Quo nos beare possis?

Quàm turpe, quàm pu-
 & patriis abesse (dendum,
 Aliquot focis per annos,
 Omnesq̄; circularē
 Terras, & æquor omne,
 Et nîl domum referre,
 Quam barbudas novellas,
 Et horridas capronas,
 Braccasq̄; Gallicanas,
 Ibericos cucullos,
 Et Anglicos galeros,
 Et basiationes
 Hujus manus, & hujus,
 Genuumq̄; flexiones,
 Exoticosq̄; mores,
 Et pauca non Paternæ
 Malè nota Verba linguæ.
 Tum marcidâ crumenam,
 Corpusq̄; purulentis
 Fluens ubique morbis,
 Animumq̄; plurimarum
 Rerum proterviarum.
 Tum si rogentur inter
 Amiculos amici
 Narrare quæ relatu

Videre

Videre digna coram,
Et audiere: tandem
In ore nîl habere,
Nîl prædicare posse,
Hæc quam minuta (risum
Quis hic queat, tenere,
Aut non dolere?) primum
Antenor's tenellos
Pan'es in orbe coctos,
Vicentiæq; Vina,
Venetasq; Dammasellas,
Illudq; Mantuanæ
Rei, quod ô, quod ipsum
Vix osca verba dicent.
Hos ergò nîl videmus
Mutasse, præter unum,
Cælum, simulq; tempus,
Sumtusq; perdidisse.

At tu benigne Princeps,
Princeps Ulyssis instar
Germaniæ per oram,
Quæ frigidi lutosi
Rheni madescit undis,
Et Celticas per urbes,
Magniq; Regis aulam,
Cui tu venuste Princeps
Miraculo fuisti,
Et candidos recentum
Colles per Angilorum,
Et Belgii per altas

Jam liberi paludes:
Majora quæsiisti,
Potiora repperisti,
Meliora rettulisti.

Tibi datum tueri
Pulcherrimosq; reges,
Pulcherrimasq; leges,
Pulcherrimasq; gentes.
Tibi contigit peregrè
Homines videre cives,
Afinos videre cives,
Zabulos videre cives,
Reges videre cives.

Mores & apparatus
Alemanniæ notasti,
Parisiæq; turbæ,
Britanniciq; regni,
Sicambriæq; terræ,
Mentisq; disparasti
Sagacis arbitratu,
Probanda quæ putasti,
Et quæ cavenda multo
Labore censuisti.

Fors si quid in bonorum
Sacriis Deorum,
Rerumq; publicarum
In abditis senacliis,
Aut garrulis scholarum
In pulpitis placeret,
In cereas tabellas,

A 3

Aut

206
Aut paginas Melonis
Id omne cotulisti.
Quin si domesticarum
Se forsan obtulissent
Exempla scita rerum,
Tibi non erat pudori,
In ultimâ cerebri
Ea condidisse cellâ.

Sic ergo grana puri
E glareâ legebas
Auri, nihilq; parvum,
Nihilq; negligendum
Prudenter æstimabas.

Quas ergo, Jane Princeps,
Quas sarcinas bonorum
Ego te referre dicam?

Tibi numinis timorem
Auxere maximarum,
Spectacula tanta rerum
Terrâ mariq; : totam
Hanc universitatem
Libri patentis instar
Habere scimus : illa
Del disertâ summam
Sapientiam recenset,
Potentiam celebrat,
Laudat benignitatem.

Auxere visa coram
Diversa sacra : seu sint
Waldensium vetusta,

Seu Præfulis Latini
Responsa : Lutheranam
Fidem tuis in aulis
Vel parietes loquuntur.
Hæc ergo comparasti,
Et lance veritatis
Utrinq; ponderasti.

Si purpuræ Laconum
Sarrana conferatur,
Quis nō videt, quod ostrum
Ardentius rubescat?

Auxere tot viarum
Pericla, tolliones,
Latrunculi, calores,
Et Galliæ pruinae,
Imbres, & incitarum
Voragines aquarum,
Prærupta faxa, valles,
Sylvæq; sævientum
Spelæa bestiarum,
Reciproci furentis
Æstus maris, tonantis
Coeli graves ruinae,
Morbi, maligna pestis,
Febres, anhelata tuffis.

Sic ergo tot malorum
Timore vota cœcis
E pectorum latebris
In lucis eruuntur
Oras, Deiq; lapsum.

Redin-

207 - 805
Redintegrant amorem.
Quin plurima refertos
Prudentia qua fillos
Refers Jane Princeps:
Seu forte sit necessum
Ecclesias sacratos
Fundare per Ministros,
Et legibus caducas
Firmare civitates,
Lapsasq; suscitare:
Seu forte providenti
Deliberatione
Futura quaeritemus,
Facienda deligamus,
Fugienda separemus,
Et consilii reperta
Securitate vires,
Animosq; fulciamus.
Seu forte judicatum
Ad Martium vocentur
Vicium patres verendi,
Dum nox inumbrat orbem,
Sententiasq; dicant,
Sed absq; Tullianæ
Fuliginis periculo,
Et impetu vagarum
Cæco cupiditatum.
Seu fortè grata doctis
Struenda sint Camœnis
Lycæa, delicatam

Quæ litteris juventam,
Et moribus figurent,
Docentibusq; justæ
Discuntibusq; leges
Civiliter ferendæ,
Victusq; liberalis
Præbendus his & illis,
Et plurium supellex
Sed eruditiorum
Vel regiis librorum
Impendiis paranda.
Seu fortè cura rerum
Gravis domesticarum
Molestiam faceffat:
Si turbidos Maritos,
Et improbos Parentes,
Herosq; duriores
Opus monere, castis
Quid debeant honoris
Uxoribus, pusillis
Quid educationis,
Alimoniamq; natis,
Quid servulis ad omnem
Solitis pavere furcam
Moderationis. Hæc sunt
Propagines JOHANNES
ERNESTE, ramuliq;
Ejus sagacitatis,
Quam ceu procul petitos
Ex Indiâ lapillos,

208
Conchasq; , purpuramq;
Et Persicos odores
Lucratus es secundâ
Negotiatione.

Quin dives universæ
Virtutis & decori
Magmenta certa tecum
Feliciter tulisti.
Patientiam laboris,
Tolerantiam doloris,
Mellitulamq; morum
Sine bile comitatem,
Nec asperi rigorem
Juris, sed æquiorum
Interpretationem.

Tibi frons aperta blandi
Oris, benigna verba.
Byssosq; molliora,
Porriq; vix ligata
Folio gravis crumena.

Te Gallus, & Britannus,
Et Italus loquentem
Mirantur, & paternæ
Noscunt amica verba
Et expedita lingua.
Hæc ergo Jane dotes
Et mentis, & capacis
Tibi pectoris dedere
Unus sator bonorum.
Et seminator unus

Deus, precesq; Matris,
Et vota subditorum,
Oboedientiaq;

Vis magna, certa merces,
Et impigri labores,
Et hoc iter peractum,
Teutlebiq; multos
Spectata jam per annos

Fatoq; lætiori,
Et sorte tristiori
Intaminata virtus,
Evandriaq; purus

Integritatis ardor,
Fidesq; cana canis
Increta jam capillis,
Drachnifelsiq; solers

Vis ingeni, vigorq;
Instar videns acutum
Epidaurii Draconis,
Aquilaq; circinantis,

Neomariaq; ductus
Peritiæ per omnes
Vigilantiæq; terras.

Salve tot inclytorum
Propago certa regum,
Septemq; germen ortum
E furculis virorum,
Ter ampliusq; salve.

Dii te piamq; servent
Matrem, tuosq; Fratres,

Et

Et sospitent a vitas
 Per multa secla terras.
 Tuis Patentiorem
 Ut aream quadrigis
 Deincep steras, oportet,
 Campiq; latioris
 Curru sacrae Themistos
 Per orbitas veharis.
 Brevi, quod auguramur,
 Rempublicam capeffes,
 Et patrio volentes
 Duces amore cives.
 Quae lapsa, si qua, tolles,
 Quae sparsa congregabis,
 Et vincies soluta,
 Amissa jura reddes,
 Novasq; servitutes,
 Si quae tamen subortae,
 Mandabis ad profundum
 Foedae Stygis Magistrum,
 A quo tyrannis, a quo
 Tyrannidis ministræ,
 Sophisticæ venenum,
 Virus calumniarum,
 Tandemq; vis apertum
 Cruore sparsa rictum.
 Tibi lex erit suprema,
 Non quæstus, aut voluptas,
 Non auctior potestas,
 (Vitæ quid hæc beandæ?)

Sed prima sempiterni
 Honor Dei, secunda,
 Grati salus popelli,
 Pietas, & alma Virtus,
 Securitasq; vitæ,
 Famæq;, nec peculî
 Augmen laboriosum,
 Nec, parta quæ fuere,
 Themistoclis malignas
 Contra Deas tueri
 Non posse, non locare
 Laudabiles ad usus.
 Sic es futurus olim
 Opulentiorq; Princeps,
 Potentiorq; Princeps,
 Dilectiorq; cælo,
 Amiciorq; terris,
 Quam si regas Iberos,
 Populosq; Mexicanos,
 Et ostiis ab Istri
 Rerum tenens habenas
 Fontes ad usq; Nili,
 Fulgentis invidendos
 Auri struas acervos.
 Certo Dei favore
 Fidoq; subditorum,
 Amore, quem paramus,
 Et quem tuemur unâ
 Pietate, non pudendo
 Lucro, licentiavè

A § Quid



Quidquid libet patrandi,
 Sincera metienda,
 Beatitudo regum,
 Et Principum potestas
 Hoc Mater, hoc precatur
 Fratres, idemq; magni
 Gens tota Wittekindi.
 Hoc Saxo multus optat,
 Cautusq; Mysus orat,
 Vovet hoc Nariscus, acer
 Hoc Francus expetiscit,

Desideratq; simplex
 Thuringus in columbæ
 Morem, piæ columbæ,
 Sed interim sagaci
 Prudentiâ retorti
 Serpentis æmulator.
 Dii vota nostra firment,
 Et quæ rogata multis
 Adaugeant bonorum,
 Et prosperent acervis.

Gratulab. ei Latab. Subjectiß. F.

Wolfgangus Heider M.





212

M. 597 Bk

M. 597

M.C.



ULB Halle

3

004 966 767



sb1

V017





In
ILLUSTR
D. JO
ERNEST
CIS SAXO
BERGÆ, LA
chionis Misnia
Raven

*Cum è pere
Anglica*

Debi

VV OLF
Pr

Ex Officina

201
an 7
DOMINI
NIS
DU-
IÆ, ET
MAR-
Domini

ica, &

M.

NERI

